



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 54. Famagusta a Turcis cincta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. LIV.

Sæcul. XVI.

A C 1571.

*Famagusta a Turcis cincta.*

Turcæ continuato furore Famagustæ  
 obsidionem urgebant, unde urbs <sup>Chalcond. p. 703.</sup>  
 brevi ad incitas redacta est; quippe  
 omnium rerum penuria intra muros pro  
 Turcis contra obsessos decertabat, atque  
 extra mœnia victorum furor, necnon  
 obsidionis assiduitas illius excidium  
 minitari videbatur, præsertim cum  
 oppugnantium exercitus oppugnato-  
 rum viribus longe superior esset: qua-  
 propter istorum conditione ad om-  
 nium malorum cumulum excrescen-  
 te urbis Primores Bragadino Præfecto  
 libellum supplicem porrigebant, in quo  
 suum ardorem, animique fortitudinem,  
 qua hucusque urbem non sine crebro  
 vitæ suæ contemptu propugnassent, ex-  
 ponebant, eumque rogabant, ut habi-  
 ta ratione evidentis periculi, quocum  
 ejus conjuges, & proles luctarentur,  
 ipsorum conservationi prospiceret, ur-  
 bemque honestis conditionibus dedere  
 vellet, quatenus hoc pacto ab hostium  
 sævitia etiam cives præservarentur.

Accepto hoc libello Bragadinus  
 cunctos Magistratus, præcipuosque Bel-  
 lidoce convocans, ad eos orationem  
 moderatione, ac sapientia uberem ha-  
 buit, illisque proximi auxilii brevi ex



Sæcul. XVI. Creta advolantis spem fecit, eoquod  
 A.C. 1571. hanc in rem jamjam eo quosdam able-  
 gasset: „si vero, addebat Bragadinus,  
 „hæc spes nostra evanesceret, non ego  
 „sum ille, qui vos hostium furori lita-  
 „re, atque extremum vestrum excidium  
 „mea pertinaciâ accelerare auderem;  
 „calamitatem equidem vestram intimo  
 „sensu deploro, simulque fortitudinem,  
 „& constantiam, quam hucusque non-  
 „modo Belliduces, sed etiam cuncti mi-  
 „lites, ac cives exhibuerunt, plurimum  
 „admiratus sum: unde tam ignava de-  
 „ditione collectas victoriarum lauros  
 „hostibus, qui jam se devictos in-  
 „gemiscunt, cedendas haud arbitror:  
 „aliunde vero num vobis persuadere au-  
 „detis, quod Victor adeo ferox, si vos  
 „ejus furori tradere volueritis, vestræ  
 „vitæ, bonisque parceret? quandonam  
 „enim hi infideles fidem illis, qui se eo-  
 „rum clementiæ reliquerunt, factam  
 „servarunt? revocate in memoriam  
 „vestram recentem illorum perfidiam,  
 „qua Rhodum Insulam inhumano modo  
 „devastabant, violatis speciosissimis pol-  
 „licitationibus, quibus fidem suam ob-  
 „strinxerunt, quod nemini injuriam in-  
 „ferre vellent, cum tamen eo tempore  
 „res ageretur cum illo, qui inter omnes  
 „Ottomanici Imperii Sultanos ob datæ  
 „fidei constantiam celebrior haberetur?  
 „de



„de cetero confidite, pro temporum ne-  
 „cessitate ea, quæ vestris precibus ma-  
 „gis consona erunt, arripiam consilia.„  
 Hæc Gubernatoris oratio nonnullos  
 commovebat, potissimi vero pertinaci-  
 ter cum hoste transigendum, urbemque  
 tradendam censebant, ut hac ratione  
 majus malum declinaretur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1571.

§. LV.

*Induciæ pro sancendis deditio-  
 tionibus ab obsessis petitiæ.*

Interim Turcæ, dum obsidionales fos-  
 sas absoluerunt, die trigesima Julii  
 cuniculo ignem subjiciunt, ac residuam  
 portus Turrin, necnon illius propugna-  
 culi, quod portum tuebatur, partem  
 dejiciunt, quo etiam tempore mœnia  
 conscendunt, certaminis furore utrin-  
 que ultra sex horas protracto, ac desi-  
 deratis Turcarum quamplurimis. Al-  
 tera die ad meridiem denuo restauratur  
 prælium, cum minori tamen utriusque  
 partis dispendio; nam obsessi, post-  
 quam præclara admodum fortitudinis  
 suæ specimina sæpius ediderant, pulve-  
 ris, atque annonæ penuria pressi, omni-  
 que auxilii spe destituti, ab oppugnatio-  
 ne cessari petebant, ut de deditio-  
 tionibus agi posset, interea vero  
 utrinque obsides traderentur: itaque  
 in hæc pacta conventum: I. Omnibus  
 vitæ

Thu. 1. 49.  
 p. 75.